AUGUSTINUS
Admont, 12. Jh. Seite 57r
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=25973
Copyright: Admont, Benediktinerstift



genitor ille genitus. ille a quo est qui mittitur. ille qui est ab eo qui mittit. Filius
enim a patre est non pater a filio. Secundum hoc iam potest intellegi. non tantum ideo
dicimus missus filius quia uerbum caro factum est sed ideo missus ut uerbum caro
fieret et per presentiam corporalem illa que scripta sunt operaretur. idest ut non tantum
homo missus intellegatur quod uerbum caro factum est sed et uerbum missum ut
homo fieret quia non secundum imparem potestatem uel substantiam uel aliquid quod in eo
pater non sit equale missus est sed secundum id quod filius a patre est non pater a filio. Verbum
enim patris est filius quod et sapientia eius dicitur. Quid ergo mirum si mittitur non quia inequalis est
pater sed quia est manatio quedam claritatis omnipotentis dei sinceri. Ibi autem
quod manat et de quo manat unius eiusdemque substantie est. Neque enim sicut aqua
de foramine terre aut lapidis manat sed sicut lux de luce. Nam quod dictum est
candor lucis eterne quod aliud dictum est quam lux est lucis eterne. Candor quippe
lucis quod non lux est. Et ideo coeterna luci de qua lux est. Maluit autem dicere can
dor lucis quam lux lucis ne obscurior putaretur ista que manat quam illa de qua
manat. Cum enim audiretur candor eius esse ista facilius est ut per hanc lucere illa
que hec minus lucere credatur. Sed quia cauendum erat ne minor lux
illa putaretur que ista genuit. hoc enim nullus umquam hereticus ausus est dicere
nec credendum est aliquem ausurum. illi cogitationi occurrit scriptura qua
possit uideri obscurior ista que manat quam illa de qua manat. Quam
suspicionem tulit cum ait candor est illius idest lucis eterne. atque ita
ostendit equale. Si enim hec minor est obscuritas illius est non candor illius.
si autem maior est non ex ea manat. Non enim uincet de qua genita est. Quia ergo
ex illa manet non est maior quam illa. quia uero non obscuritas illius sed candor
illius est non est minor. Equalis ergo est. Neque hoc mouere debet quia dicta est ma
natio quedam claritatis omnipotentis dei sinceri. tanquam ipsa non sit omnipo
tens sed omnipotentis manatio. Mox enim de illa dicitur. Et cum sit una
omnia potest. Quis autem omnipotens nisi qui omnia potest. Ab illo itaque mittitur a quo
emanat.